

euincunt? Ex *compositione* huius mundi omniumque mundi corpo-  
rum, colligunt *daritalia simplicia, principia, monades*. Clar. Engel-  
hard scribit Disp. pag. 13. *rationibus evidentissimis ex compositione re-  
rum ad partes simplices componentes tuto se concludere, sed horum sim-  
plicium essentiam determinare non posse*. Verum enim vero tantum  
abeit, vt hæc ratio sit *evidens & solida*, vt ego contra statuum, (vti  
e præcedentibus iam liquet,) *simplicia*, quæ nec *partes*, nec *magni-  
tudinem*, nec *figuram*, nec *quicquam*, quod *materiæ conuenit*, habent,  
non posse esse *principia corporum*, nec componere mundum & o-  
mnia mundi corpora. Quod & firmatur axioma vulgato: *Quod  
quis vel quid non habet, id alteri dare non potest*. Recte solet a veris  
Philosophis subintelligi, vel *formaliter*, vel *eminenter*: sed id heic  
non requiritur. Nam vt ea *simplicia* sint *principia corporum*, &  
*partes eorum*, & *extensionem & corpora & materiam* constituent,  
debent *formaliter & actu habere & in se continere partes, extensio-  
nem & materiam*. Imo Clar. Engelhard dicit, illa *simplicia* esse  
*partes simplices componentes*. Quomodo sunt *partes* si non habe-  
ant *magnitudinem*? Et si non habeant *motum*, nec habere queant,  
quomodo adducuntur & coeunt ad rerum compositionem? De-  
nique si *nihil quicquam habent, quod materiæ conuenit*, quomodo  
*materiam* constituere possunt? Sic nec Cl. Bulfingerus percipere  
potuit, quomodo *e non quanto fieri possit quantum*, siue ex illis *sim-  
plicibus corpora mundi*. Nec obiiciatur exemplum *numeri qui*, o-  
ritur ex *unitatibus*, licet *unitas non sit numerus*. Numerus enim  
est collectio *unitatum*, ita vt duæ, tres vel plures *unitates* faciant  
*numerum*; atque ita necessario est *principium numeri*: sed illa *simpli-  
cia*, quæ non habent *partes*, nec *magnitudinem*, non faciunt *ex-  
tensionem, magnitudinem, aut corpus*. Duo, tria, quatuor, cen-  
tum, mille *simplicia*, sine vlla *magnitudine*, nunquam dabunt rem  
*extensam, magnam, corpoream, ex partibus compositam*.

XXIX. Hinc facile intelligitur, consequentiam & probatio-  
nem esse nullam: res sunt *compositæ*, ergo constant ex *simplicibus*,  
quæ *partes non habent*: siue corpora huius mundi sunt *composita*;  
ergo constant ex *simplicibus*, quæ *partes non habent, nec magnitu-  
dinem, &c.* Imo contrarium sequitur; quod modo est ostensum.  
Hoc quidem sequitur, corpora sunt *composita*; ergo constant ex  
*partibus*, tanquam certo respectu *simplicibus*. Quod enim *composi-  
tum* est, constat ex *partibus componentibus*; sed neutiquam sequi-  
tur

tur